



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

III. De electione supremi Prælati in religione, deque conditionibus ex parte
ipsius requisitis, vt legitime eligatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

in substantia, cumque magis interueniat ibi iniustitia legalis, quam commutativa. Vnde confirmatur, quia in his actibus maior ratio habenda est boni communis, quam privatae iniuriae ad bonum autem commune expedit, ut talis restrictio timeatur, & seruetur, etiam si iniusta appareat ex defectu causae, & ideo facta tenet, ac valida est. Dico autem, ex defectu causae, quia si aliunde contineret intolerabilem errorem contra bonos mores, clarè, & euidenter nulla est. Tertiò verò addendum est, si quae sunt concessa inferiori Praelato ultra ius ordinarium per delegationem superioris, & licet, & validè reuocari ab eodem Superiore, vel ab aequali, scilicet successore, vel etiam ab alio utriusque superiore, pro sola voluntate sine speciali causa: & tunc cessant omnes rationes suprà factae, quia delegatio est quaedam gratia, & fauor: quanquam in hoc etiam cauenda sunt incommoda, quae per accidens sequi possunt, vel contra commune bonum, vel contra pacem, & charitatem singulorum: maximè, si acceptio aliqua personarum misceri videatur.

Delegata
iurisdictio
licet restrin-
gi possit sine
causa, per se
loquendo.

XXV.

An Prae-
latus maior
possit infe-
riorum nomi-
nare.

Tandem inquiri hic potest, an haec dependentia sit etiam in conservari: quod est querere, an supremus Praelatus possit quemlibet sibi inferiorem suo officio priuare: & eadè quaestio est de Praelato medio respectu sibi subiecti. Sunt autem duo certa. Vnum est, sine legitima causa non possit licet, ut à fortiori ex dictis constat. Intelligendum autem id est, quando praelatio vel perpetua est, vel pro definito tempore datur, si intra illud auferatur, quia tunc procedunt fortius rationes in superiori puncto factae. Si autem tempus non esset definitum, nec positiuè perpetuum, sed indefinitè daretur ad arbitrium Superioris, tunc per se non esset illicitum, nam cessat etiam omnis ratio iustitiae, dummodo nihil nouum fiat contra consuetudinem, quod merito posset perturbare aliquam, vel infamiam generare. Secundo est certum, ex iusta causa posse hoc & licet, & validè fieri, quia iurisdictio non deest, & ad licitè vsum sufficit iusta, & proportionata causa. Quod ita explicatur: nam haec causa generatim loquendo duplex esse potest. Vna est, culpa sufficiens ipsius praelati: nam iuste potest à suo superiore puniri, sed priuatio officij potest esse iusta poena: ergo. Alia est, ratio aliqua vrgens maioris boni communis: nam haec munera non ad priuatum commodum praelatorum, sed ad bonum commune religionis ordinantur: cura autem huius boni communis, & iurisdictio ad illud tuendum proportionata, maximè pertinet ad supremos, & vniuersales praelatos, ut suprà declarauimus: ergo in eo casu, & ex parte eorum est sufficiens potestas, & ex parte causae sufficiens ratio, ut talis mutatio sanctè fiat.

XXVI.

Tertium autem incertum est, scilicet, an talis priuatio sine iusta causa facta, valida sit. Omnis autè rationibus dubitandi, quae utrinque facile excogitari possunt, censeo illam esse validam, per se spectata hierarchica subordinatione harum potestatum, propter rationes factas in superiori puncto: nam eadem ratio est totius, & partis in his, quae similia sunt. Si ergo restrictio sine causa facta valida est, cum tamen sit diminutio seu ablatio partis iurisditionis, etiam totius ablatio valida erit. Hoc autem, & reliqua quae in hoc capite diximus, intelligenda sunt, & supponendo in his praelatis perfectam, & monarchicam iurisditionem, & tollendo impedimenta, seu restrictiones, quae per legem, vel superiorem potestatem factae esse possunt. Primum ideo aduerto, quia in multis religionibus, etiam si Generales, vel Prouinciales habeant, regimen non est simpliciter monarchicum, praesertim in rebus grauioribus, in quibus Generalis, vel Prouincialis nihil validè potest statuere sine concursu suorum *De finitiorum*, aut quouis alio nomine vocentur, qui definitiuum

suffragium in huiusmodi negotiis habent. Igitur quoad hoc non possumus regulam generalem statuere, sed spectanda est consuetudo, vel institutio vniuscuiusque religionis, & iuxta modum eius applicare quae haecenus diximus. Eademque ratione addita est altera limitatio: nam haec potestas sine conferatur immediatè à Summo Pontifice, siue mediante religionem, & generali Capitulo eius, vel per supremum Superiorem ad medios descendat, sapè non datur absolute, saltem quoad plures actus ex dictis, sed cum restrictione & obligatione seruandi talem formam aut modum, vel cum aliqua dependentia ab ipso concedente, aut simili alio modo; & tunc facultas non excedit concessionem: ideoque etiam quoad hanc partem consulenda sunt priuilegia, & statuta religionum, ut secundum ea limitentur omnia, quae diximus: nam illa procedunt per se, & quantum est ex iure commune, & ex natura & modo talium iurisditionum, non est tamen dubium, quin iura specialia possint multa addere, quae hic à nobis non possunt considerari, sed ad singulas religiones id pertinebit.

CAPVT III.

De Electione supremi Praelati in Religione: de qua conditionibus ex parte ipsius requisitis ut legitime eligatur.

De vobis modis potest Magistratus aliquis creari, scilicet, vel per electionem, vel per voluntatem alicuius Principis, seu Praelati superioris: omitto enim hereditariam successione, quae in praesenti materia, & in vniuersum in spirituali potestate locum non habet: omitto etiam modum succedendi per nominationem Praelati decedentis, seu finientis tempus suum, deligentis sibi successorem: quia licet hic modus intrinsecam malitiam, aut aliam repugnantiam absolute non inuoluat, in Ecclesia tamen in nullo genere propriae successione ac praetationis vfu receptus est; ne praetatio Ecclesiastica quasi testamento legari seu relinqui videretur, & ad vitanda pericula, quae esse possent, si vniuersumque iuxta suam propriam affectionem successorem sibi posset eligere: & ideo hoc est sacris canonibus vetitum, ut dixit Gratianus in §. *haec omnia*. S. q. i. post nonnulla decreta, quae de hoc adduxerat, & in simili nonnihil in tomò de fide disp. 10. sect. 4. retulit. Dixi autem, hoc non admitti in propria successione praetationis, quia nominare aliquem Praetarium, qui praesit interim dum fit electio propriae praetationis, non ita repugnet, quia neque habet praetationem incommoda, nec per canones est prohibita. Vnde in nostra Societate S. p. Constit. c. i. conceditur Generali, ut possit Vicariū nominare, qui statim post mortem eius, debeat Societatem congregare, atque illi praesse, donec Praepositus Generalis eligatur: quanquam neque S. Ignatius ipse, neque aliquis eius successor vsque ad haec tempora, in quibus scribimus, ea facultate vti voluerit. Itaque solum suffragium duo modi suprà dicti, quibus Praelati religionis creari possunt.

Ut ergo à supremo capite incipiamus, dicendum est principaliter Praetatum supremum & generale vniuscuiusque religionis per legitimam electionem, seu creatum esse. Hoc probat vsum, & institutio omnium religionum, & est consentaneum iuri canonico, ut statim dicam. Ratio autem est, quia hic Praetatus non habet intra religionem alium superiorem à quo institui possit: ergo non superest alius modus nisi per electionem. Dices, habere hos praelatos Summum Pontificem superiorem, à quo possent institui, sicut ab eo creantur Episcopi. Respondetur, potest

potuisse quidem Pontificem Summum hoc sibi re-
ferre, & hac lege, & modo vnamquamque reli-
gionem instituire, & approbare, noluisse tamen, ut
suauis, & commodius religionibus prouideret, ut
mirum ipsa religio in paltore sibi eligendo con-
sentiret, & ut ipse etiam electus à suis futuris
subditis publicum haberet suæ sufficientiæ, & di-
gnitatis testimonium, & ita cum maiori amore, &
inducta à tota religione susciperetur. Simili enim
ratione noluerunt Summi Pontifices sibi successores
nominare, sed electionem Ecclesiæ committere,
ut videre licet in Turrecremata lib. 2. Summa,
c. 51. & in citato loco tomi de fide. Atque hoc rectè
confirmant iura, quæ disponent, ut Abbas per ele-
ctionem monachorum creetur: illi enim Abbates,
ut supra cap. præced. n. 11. retigerant tunc in sua
religione supremi, quamvis Episcopis essent subiecti,
& ideo non poterant à religiosis creari, nisi per ele-
ctionem, potuissent tamen, si Ecclesia veller, à solis
Episcopis, vel Pontificibus prouideri: illud tamen
nunquam factum est, nec iudicatum expediens, pro-
pter rationes paulo antè adductas. Et ob easdem
nunc in religiosis monialium, quæ subsunt Episco-
pis, Abbatibus per electionem monialium creantur,
& non constituuntur à solis Episcopis. Denique in
regulis singularum religionum hoc disponitur, ut
videre licet in Regula S. Francisci, cap. 8. & in 8. p.
Constitut. Societatis, c. 1. & 2. &c.

III. Dices, Quomodo potuit hæc dignitas Præpositi
Generalis in vnaquaque religione incipere per ele-
ctionem, cum electio supponat religionem ipsam
constitutam, cum debeat à religiosis fieri, ut dice-
mus: religio autem supponat aliquem Prælatum,
cui omnes possint obedientiam promittere. Res-
pondeo, primò, necessarium non esse ut conclusio
intelligatur de primo initio ac fundatione reli-
gionis, nec de nouo quod tunc inceperit gubernare
nunc enim præcipue agimus de ordinario regi-
mine religionum, postquam institutæ, & fundatæ
sunt. Deinde dicitur generalis praelati electionem
aliis modis potuisse in religionibus incipere. Primo:
ut præcesserit religio, & regimen eius sine vno
supremo capite, vel gubernatore, postea verò sin-
gula monasteria inter se consenserint de vno com-
muni praelato eligendo: nec repugnat religionem
præexistere sine huiusmodi praelato, ut de religione
S. Benedicti, & de antiquis monachis supra con-
statimus.

IV. Secundò, potest à principio institui religio cum
hac lege, ut nullum habeat prælatus, ut de religione
S. Francisci constat ex Regula eius, cap. 1. & 8. & idè
est de religione Predicatorum, & de Societate. Mo-
tus autem constituendi primum Generalem esse
potuit vel per designationem Summi Pontificis,
quod ita fuisse in religione S. Francisci colligi potest
ex cap. 1. Regula eius, ubi Franciscus ipse soli Papæ
promittit obedientiam, de aliis autem dicitur, Te-
nentur obedire Francisco, & successoribus eius; vel etiam
potest talis creatio fieri per liberum consensum om-
nium, qui in principio aggregati fuerunt funda-
tori religionis, illi obedientiam promittendo, etiã
ante approbationem Apostolicam: nam licet eo tẽ-
pore ille non esset verus prælatus sicut illa non erat
vera religio, tamen adueniente approbatione, per
quam Pontifex confirmat quod prius factum est, &
acceptat sua vota tanquam solennia, confertque
participationem suæ iurisdictionis illi religioni in
indiviso prout in talibus personis inchoata, inci-
pit esse verus prælatus generalis ordinis. Et for-
tasse etiam ita factum est in religione S. Francisci,
& sancti Dominici. Alio item modo potest primus
Generalis fieri per propriam electionem, & post re-
ligionem iam verè institutam, & confirmatam, pro-
ut in nostra Societate contigit: anno enim 1540. cõ-
Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

firmata est à Paulo III. sequenti verò anno P. N. S.
Ignatius in Generalem electus est. postea verò tam
ipse Ignatius, quàm socij eius solennem professio-
nem emisere, in qua etiam notari potest quod I-
gnatius ipse Summo Pontifici tantum, reliqui verò
ipsi etiam Ignatio perpetuam obedientiam promi-
serunt. Rursus obseruare licet, prius fuisse Societa-
tem veram religionem, quàm in ea esset facta solè-
nis professio; imò priusquàm essent vota aliqua, au-
thoritate Pontificia in ea recepta, quia iam erat ap-
probata, & erat in ea potestas emittendi talia vo-
ta, quæ primò facta fuere ab ipso Ignatio, & illa ex
vi prioris approbationis ipso iure fuerunt accepta-
ta per Apostolicam Sedem; reliqua verò medianre
ipso Ignatio admissa fuere. Denique notare licet in
ea electione, personas illas prius fuisse eligentes, &
electam, quàm essent veri religiosi, quod nondum
votum obedientiæ emisissent: quamvis enim prius
illud esse decreuissent ex lib. 2. vitæ Ignatij. c. 13. nõ-
dum tamen illud executioni mandauerant. quod
quomodo esse possit, paulò post declarabimus.

De conditionibus ad electionem alicuius in Præla-
tum religionis, præcipue Generalis.

Quoniam verò in conclusione dictum est, id quod
etiam de se est manifestum, electionem hanc debere
esse legitimam, nam à lege præcipue vigore habere:
ideo explicandum nobis superest quid requiratur
ut hæc electio legitima sit. Possunt autem ad tria
capita reduci huiusmodi requisita, nimirum, ad per-
sonam electam, seu eligendam; electores, & for-
mam, seu modum electionis. Primum horum in
præsenti capite expediemus, duo reliqua in duobus
sequentibus. In persona ergo eligenda duo deside-
rantur, scilicet capacitas & dignitas. Circa capaci-
tatem igitur sciendum est, ex natura rei, vel ex folo
diuino iure nullam conditionem specialem ad hæc
capacitatem requiri præter generales, ut quod sit
persona humana, ratione vtens, & apta aliquo mo-
do ad hoc regimen suscipiendum, hæc enim in om-
ni electione humana necessaria sunt: præter hæc
verò ex vi solius rationis naturalis nihil amplius
cum fundamento addi potest. Quatenus verò ele-
ctio hæc in fide suo modo fundatur, & ad superna-
turalem finem ordinatur, rectè colligitur ex dis-
cursu etiam connaturali fidei, & gratiæ, ad hæc
capacitatem necessariam esse fidem, seu fidei pro-
fessionem in persona eligenda, quia alias non po-
test esse apta ad huiusmodi regimen. Vnde etiam
necessarium est quod sit persona baptizata, ex ge-
nerali principio alibi satis tractato t. 4. & 5. in 3. p.
quod sine charactere baptismali nullus est capax spiri-
tus iurisdictionis. Quod verò ex diuino iure positum,
nihil amplius hic requiratur, ex dicendis con-
stabit.

Superest ergo ut de iure Ecclesiastico videamus
an in eligendo aliquid amplius requiratur, ut non
solum capax, sed etiam dignus censeatur. Hoc autè
ius triplex distingui potest, speciale, generale, & ge-
neralissimum: speciale hic voco, quod in vnaquaq;
religione per specialia indulta, vel priuilegia addi-
tum est, quale esse potest, v. g. quod persona eligen-
da non ducat originem ex Iudeis, vel aliud simile.
Et de hoc iure nihil hic dicimus. Generalissimum
appello quod non solum religionis, sed omnibus ce-
teris Ecclesiasticis electionibus commune est, qua-
le est, quod eligendus non sit excommunicatus, aut
irregularis ad officium vel beneficium: de quo etiã
hic non agimus, in sua generalitate, quia spectat ad
materiam de Censuris, & Irregularitate, quæ in
proprio loco tradita est: solum hic addemus quæ
necessaria fuerint ad applicandum huic electioni
illam communiorè doctrinam, quod fiet explicatio

lib. 1. vlti
S. Ignatij, c.
vlt. & lib. 3.
c. 1. apud R.
badem.

Qua condi-
tiones iure
naturali re-
quirantur.

VI.
Ius Ecclesiæ
speciale
genale

ius, quod generale vocamus, quatenus omnibus religionibus commune est.

Prima conditio iuris communis ad Generalis praelaturam, legitima aetas.

VII.

Prima ergo conditio requisita in persona eligenda, est, ut habeat legitimam aetatem, quae ad minimum debet esse viginti quinque annorum, iuxta cap. cum in cunctis, de Electione, confirmatum à Concilio Tridentino sess. 24. cap. 12. de Reformatione. Haec autem iura generaliter loquuntur de omnibus dignitatibus Ecclesiasticis, habentibus curam animarum annexam, sub quibus sine dubio comprehenduntur etiam praelationes regulares, magnae enim sine dubio habent curam animarum ordinariam, & ex officio, veraeque praelationes, & dignitates Ecclesiasticae sunt, ut supra diximus. Quia vero ibi in Episcopis postulat aetas triginta annorum, in inferioribus viginti quinque, dubitari potest sub quo illorum membrorum comprehendere debeamus praelatum generalem religionis. Nam in rigore & proprietate non est Episcopus, sed dignitate inferior; verba autem legis in sua proprietate seruanda sunt: praefertim in lege, quae ponit formam necessariam, & irritat actum in quo omittitur: nam ex hac parte est odiosa, & ideo restringenda ad verborum proprietatem. Contrarium autem videtur suadere ratio: quia haec maior aetas non tam postulat in Episcopis propter ordinis dignitatem, quam propter superiorem iurisdictionem, & grauiora negotia, & actus, qui ratione talis iurisdictionis ad illos pertinent. Sed supremus Praelatus religionis participat maxime iurisdictionem Episcopalem, quae in illo ratione status subditorum magnam iudicii maturitatem requirit. Ergo, quantum ad praesens spectat, videtur sub Episcopi nomine comprehendendus. Nihilominus prior sententia in rigore iuris vera videtur propter rationes adductas, & quia nullus author illam extensionem facit. Imò Panormitanus dicit. cap. cum in cunctis, num. 6. querens quid de Abbate respondet in iure clare non caueri, communiter tamen reuocari ad dispositionem de inferioribus dignitatibus: diximus autem supra cap. 2. num. 2. ius commune nihil disponere in particulari de hac praelatione vniuersali, seu generali religionis; sed tantum de Abbate, quatenus per se erat quasi supremus intra suam religionem. Addo praeterea, licet hic sit veluti casus omissus in iure communi, nihil referre, quia moraliter loquendo, & quasi ex ipsarum rerum natura seu necessitate contingere non potest, quin is, qui in Generalem eligitur, trigessimum annum aetatis excedat: nec exultimo contigisse vnquam in graui aliqua religione, ut iunior aliquis fuerit electus. De Sancto enim Bonauentura legimus cum 35. aetatis annum ageret, & per tredecim tantum in religione fuisset, electum esse, quod singulare valde, & extraordinarium reputatur, factumque fuisse ob eius singularem virtutis & doctrinae excellentiam. Cuius non dissimile exemplum in admodum reuerendo P. N. Generali Claudio Aquauina Romae ante viginti annos conspeximus: nam 39. aetatis anno, & 15. religionis propter eximias naturae, & gratiae dotes in Generalem Societatis electus est.

Secunda conditio, professio solennis, expressa, & in eadem religione.

VIII.

Secunda conditio hodie necessaria, ut quispiam sit capax huius electionis, est, ut sit expressè professus eandem religionem. In qua tres includuntur:

prima est, ut sit professus: habetur in cap. cum ad nostram, de electione, ubi irritatur electio, in qua quidam electus fuit in Abbatem prius quam esset monachus: idem habetur in cap. cum causam, & in cap. cum in magistrum eodem titulo: in quibus iuribus obseruari licet, solum prohibere, ne seculares, seu non professi eligantur, & precipere ut electiones de aliis factae irritentur, non tamen in eis expressè declarari, an tales electiones essent ipso iure nullae, & an ille defectus redderet personam incapacem, vel solum indignam, seu in proportionatam. Vnde videtur probabile secundum illud ius antiquum tales electiones non fuisse irritas ipso facto, quia in requiritur dict. cap. cum causam, allegatur consuetudo, quae ad electionem multi Priores continuè vnus post alium fuerant non professi, qui cum ita simpliciter appellentur, non videntur fuisse reputati tantum, vel solo nomine, sed veri Praelati: vnde Pontifex subdit, Non debemus solum attendere quid factum sit, sed quid sit faciendum. Et hanc opinionem indicat Panorm. ibi, numer. 6. dicens, Item nota, quod electio facta in Ecclesia regulari non non professi venit irritanda, consuetudine contraria non obstante. Hodie vero est ipso iure nulla, per c. nullus, de electio. in 6. Sentit ergo, ante illud ius libri 6. non fuisse talem electionem ipso iure nullam. Quod expressè asseruit glossa in dict. c. nullus. Nihilominus glossa in dicto c. cum ad nostram, exponit, irritat, id est, irritam nunciare, citans cap. Officij. eod. tit. ex quo, mea sententia nihil probatur, nam agit de re longè diuersa, ut infra exponam: alia vero glossa in dict. cap. cum causam, citat cap. Abbatem, & c. quam sit 18. q. 2. ut probet, talem electionem etiam ante illa decreta Innocentij III. fuisse contra ius commune, & ideo fuisse nullam, ac proinde verbum irritat ibi idem esse quod irritum declarare. In illis autem iuribus solum dicitur, Abbatem eligendum esse à monachis de sua, vel de eadem congregatione: potest autem nouitius in rigore dici de eadem congregatione, & ideo illa iura non videntur satis conuenire.

Nihilominus tamen iura illa ita intelligenda esse, quia proprie congregatio religiosorum, praeter electionem in ordine ad electionem, solum comprehendit professos, qui etiam ad eligendum solum comprehenduntur: nam de eisdem, seu de eadem congregatione loquuntur illa iura in ordine ad actum, & passiuam electionem. Quare non dubito, quin ante Innocentium III. haec conditio fuerit necessaria iure communi, & praeterea quia nisi ita esset, non preciperet Innocentius illam irritari, nec diceret, consuetudinem non potuisse in contrarium proualere. Probabile etiam est, fuisse conditionem ita necessariam ut sine illa persona esset inhabilis: quia illa conditio ponitur tanquam de forma substantiali electionis, & ut tam necessaria ex parte eligendi, quam ex parte eligentium. Et ita etiam sentit Hostiensis dict. c. cum causam. n. 7. & Panormitanus variis esse videtur, nam ex illo textu colligit, quod consuetudo non potest habilitare personam prorsus inhabilem. Nunc autem certior res est, & ex dict. c. nullus, quod iam exponemus.

Secundò addendum est huic conditioni, non quamcunque professionem sufficere, sed necessariam esse expressam. Ita enim additum est in cap. nullus, de electio. in 6. ubi ad tollendam omnem dubitationem, non de monacho, sed de religiosis sub hac voce, nec de Abbatia tantum, sed etiam de praelatura, cuiuscunque religionis mentio fit: & postulat, ut eligendus antea fuerit ordinem regularem expressè professus. Et additur, Quod si sequi actum fuerit, et ipse professus. Atque idem de Abbatibus statuitur in cap. indemitatibus. eod. tit. quod ius secundum omnes, quantum ad hanc partem, noui fuit, nam ante illud sufficiebat tanta professio, cum vere religio-

religiosum efficiat. Nunc autem non est dubium quin conditio hæc expressa professionis sit de substantia & valore talis actus, cum in illo textu hoc satis expressum sit: de quo etiam aliqua diximus supra tomo præced. tractando de effectibus professionis.

XI. Tertiò addendum est huic conditioni, debere
Tertia pars, hanc expressam professionem esse in eadem religione, ita statuitur in Clement. 1. de electione, prohibetur enim ne religiosus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius religionis, vel habitus de cetero eligatur. Quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum, & inhabile. Vbi ponderanda est illa particula de cetero, qua significatur illud esse ius nouum: ante enim non erat hæc conditio tam necessaria, vt ibi notat glossa, & illam renouat Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 10. de Reform. & sess. 25. c. 21. de Regul. Verum etiam existimo iure antiquo postulari, vt patet ex dict. c. Abbatem. 2. & in c. quam sit. 18. q. 2. in quibus Abbas eligendus dicitur de eadem, seu de sua congregatione: non erit autem de eadem congregatione, nisi in eadem professus sit. Vnde Gregorius expressè dixit non extraneus. Consonat etiam cap. nec è merito, & c. nullus inuita. & c. obuium. d. 61. vbi Celestinus, & Gregorius Pontifices statuunt, vt in vnaquaque Ecclesia ex eius clericis Prælati assumantur, & non ex alia, nisi in eadem digni inuenti non fuerint. Quæ conditio etiam subintelligitur in Abbate religionis, imò expressè ponitur à Gregorio in dict. c. quam sit. Quod si aptam (inquit) inter se personam inuenire nequeuerint, solent sibi de alio monasterio similiter eligere ordinandum. Quo etiam modo videtur intelligendum cap. Abbas. 2. quod ex Concilio Moguntino refert Gratianus 18. q. 2. vbi si contingat Abbatem cum licentia Episcopi locum suum relinquere, dicitur, eligant sibi fratres Abbatem de ipsius autem, de extraneis, sub illa enim conditione, si autem, subintelligendum est, scilicet, commode fieri non poterit, quamuis canon ille in Concilio Moguntinis non reperiatur. Nunc autem conditio hæc non ponitur in dicta Clementina, sed absolutum est decretum, & irritans, & ideo non existimo posse admitti exceptionem illam priuata auctoritate: sed in eo casu recurrendum esse ad Superiorem, quæ sit solus Summus Pontifex in casu, de quo loquimur, quamquam timendum non est quod possit moraliter euenire, vt in tota aliqua religione nullus sit, qui ad eam gubernandam dignus sit, & sufficiens.

XII. Vt autem rationem huius conditionis declaremus, querimus, an hæc conditio sit necessaria ex obligatione iuris naturalis, vel solum positui Ecclesiastici. Quidam enim primum asseruerunt, eo quod Pontifices ratione naturali niti videantur. Innocentius enim inde probat, hominem non professum non posse esse Prælatum professorum, quia lex diuina prohibet in boue & asino arare, aut vestem induere de lana linoque contextam: nam licet hæc ratio sit cessauit, sed vt indicant naturale iudicium rationis, cui non congruit, vt homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem monasteriis socientur, vt dixit Clemens V. dicta Clement. 1. & Concilium Hispalense II. c. 9. ex eadē lege Moyse confirmat quod dixerat, in vno eodemque officio non debet dispar esse professus, & infra subdit optimam rationem, Nam coherere, & coniungi non possunt, quibus & vota, & studia diuersa sunt.

XIII. Veruntamen ex tribus partibus huius conditionis, secundam clarum est non esse necessariam, nec expressam: quia nulla est ratio, quæ necessitatem suam, sed congruitatem, vt per se satis est clarum, & in superioribus traditum est, & ex ipso iure constat ante illam Ecclesiæ constitutionem, non fuisse factam. Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

etiam differentiam inter professos tacite, vel expresse, vt in Prælatos religionis eligi possent. Si autem ex natura rei expressa professio esset aliquo modo necessaria, fuisset ille intolerabilis error. Solum ergo illa conditio postulata fuit, quia professio tacita dubiis, & litibus est exposita: oportet autem, vt de illius professione, qui in Prælatu eligitur, maxima certitudo, quoad heri possit, habeatur. Et ideo hæc conditio non fuit ab Ecclesia postulata donec necessitas professionis clarius propofita fuit, tãquam de substantia, & valore electionis.

Deinde tertia pars illius conditionis, scilicet, quod sit professus eiusdem religionis, congruitatis tantum est, non necessitatis: quia, si illa conditio ex natura rei esset necessaria, maximè quia sine illa nullus posset dignè, & conuenienter munus Prælati exequi, consequens falsum est: ergo: Maior patet, quia nulla alia ratio talis necessitatis cogitari potest, cū reliqua omnia, quæ possunt esse de substantia talis muneris, possint facillè reperiiri, vt iudicium, & sufficiens rerum notitia, ac recta voluntas, &c. Minor autem patet, quia illa disparitas professionis, vel habitus non necessariò impedit, quominus Prælatus inferiores gubernet iuxta eorum regulas, & institutum, in quo potest, & debet esse satis instructus: & ideo Clemens V. in dicta Clementina solum dixit, Cùm rationi non congruat, non verò dixit, cùm rationi repugnet, aut contrarium sit. Congruitatis enim in hoc consistit, quod disparitas religionis non conciliat amorem, vel in Prælato ad religionem ipsam, vel in subditis ad ipsum Prælatum, nec etiam iuuat dissimilitudo habitus: per se autem constat, hoc non esse necessarium impedimentum ex sola rei natura, nisi lex fuisset adiuncta. Imò etiam per legem posset aliis modis illi incommodo subueniri absque indentitate professionis, argumento cap. Deus qui, de vita & honest. clericor. vbi in casu necessitatis ad tollendum scandalum, & ad ædificationem proximorum, debent homines disparis professionis se conformare in vnum honestum habitum, & propositum: sic ergo posset religiosus alibi professus eligi in Prælatum alicuius religionis, dummodo se illi conformaret in habitu, & exteriori modo viuendi, quantum ad vñionem sufficeret. Quod significauit glossa vltima in cap. in nona. 16. q. 7. & Panormitanus dict. cap. Deus qui. Tandem confirmatur, quia antiqui canones statuiebant (quod nunc etiam heri potest ex dispensatione Pontificis) vt si in propria religione non inueniretur dignus, ex alia sumi posset. Supponitur ergo, posse esse personam ex se dignam ad tale munus, etiam si in eadem religione professus non sit: vel etiam supponitur, per excessum in aliis dotibus compensari posse diuersitatem illam professionis: ergo absque vlla dubitatione conditio hæc non est ex sola rei natura necessaria, etiam si ex se habeat congruitatem sufficientem, vt per legem humanam tanquam necessaria præcipi potuerit.

De prima etiam parte huius conditionis idem dicendum cenfeo, scilicet, professionem personæ eligendæ in Prælatum non esse ex natura rei conditionem necessariam: esse tamen ita congruam, vt meritò lex humana necessitatē addiderit. Hoc secundum à fortiori constat ex dictis: nam si professio eiusdem religionis habet illam congruitatem, multo magis professio absolutè. Prior autem pars ex dictis in cap. primo manifesta est. Duo enim requiruntur in huiusmodi Prælato: vnum est voluntaria subiectio subditi per traditionem, & votum obedientiæ: aliud est spiritalis iurisdictio. De primo constat posse religiosos, si velint, promittere obedientiam homini non professo, sed seculari clerico, nò solum si sit Episcopus, de quo nullus dubitat, verum etiam, si Episcopus non sit, posseq; Ecclesiam

XIV.

XV.

tale votum recipere, & approbare, quia non est per se malum, nec contra bonos mores, & in particulari posset esse utile. Idemque cum proportionem est de iurisdictione: nam eadem ratione posset Pontifex (ad eum enim hoc primario pertinet) eam conferre Prælati seculari, sicut olim eam habebant Episcopi. Dices, hoc ideo esse quia Episcopi sunt in altiori statu, ut respondet Panormitanus in c. *cum causam*, de Elect. n. 6. & bene quoad reddendam rationem iuris communis, quæ pertinet ad congruitatem, & decentiam, non ad absolutam necessitatem, seclusa lege prohibente. Nec enim semper necesse est, ut Prælati sit in eodem, vel altiori statu, satis enim est quod persona ipsa sit sufficiens ad tale regimen: ita enim professus in religione laxiori propter qualitates personales posset, seclusa prohibitione positiua, assumi ad regendam strictiorem religionem: presbyter etiam est suo modo in altiori statu, quam Diaconus, & clericus in sacris, quam in minoribus, & nihilominus minores sapè, assumuntur ad gubernandos maiores. Denique, quamuis lege ordinaria laicus non sit capax iurisdictionis spiritualis; nihilominus Pontifex de absoluta potestate posset illam conferre laico in personas Ecclesiasticas: neque id esset per se intrinsecè contra legem naturalem, aut diuinam, ut in tomo de censur. disp. 2. sect. 3. num. 12. quamuis posset esse indecens, & scandalosum, & ita per accidens malum: ergo eadem vel maiori ratione posset Pontifex conferre iurisdictionem clerico seculari in religiosos, quia non minor, imò fortasse maior disparitas est inter laicum & Ecclesiasticos, quam inter clericum secularem, & religiosos. Innocentius ergo præcipiens illam conditionem, affert legem diuinam quasi in exemplum: nam illa diuina lex etiam supposebat congruitatem in ipsa natura rerum, non absolutam necessitatem.

XVI.
An in professionem
requiratur
antiquitas.

Quæri autem potest ulterius circa hanc conditionem, verum requiratur aliquod tempus, seu antiquitas professionis in tali persona, vel statim post factam professionem eligi possit. Ratio dubitandi est, quia Concilium Trident. sess. 25. cap. 7. de Regularibus, statuit, ut Abbatisa non eligatur, nisi quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, vel si id fieri non poterit, saltem quinque: ergo idem erit necessarium in Abbatibus, tum quia sub masculino genere solet comprehendi femininum: ergo & è conuerso: tum etiam, quia maior auctoritas, & vita approbatio in Abbate quam in Abbatisa videtur necessaria. Vnde à fortiori id obseruandum erit in Generali religionis. Nihilominus dicendum est, necessarium non esse, ut aliquod certum tempus post professionem transeat, sed statim per ipsam professionem expressam reddi personam capacem huius prælationis, quantum est ex hoc capite. Ratio est, quia nullo iure præscribitur illa conditio, & ex natura rei necessaria non est. Primum patet, quia in corpore iuris nec de Abbatibus, nec de Abbatisis, nec de Prælati religionis in communi aliquid simile inuenitur, aut ab auctoribus refertur: decretum autem Concilij Tridentini potius ad oppositum induci debet, quia specialiter id statuens de Abbatisa, videtur relinquere Abbatem in communi, & antiqua regula; ut in simili argumentatur Abbas in cap. *cum in cunctis*, de Elect. num. 6. & sumitur ex glossa, ibi recepta in c. *indemnitatibus*, de Electione, verb. *trigesimum*, & verb. *non obstante*, in fine. Vnde, licet sub masculino genere comprehendi soleat femininum, non tamen è contrario: ut ad hoc propositum dixit expressè Abbas in cap. *super monachata*, de Præbend. numer. 8. cum glossa in Clementina *Attendentes*, de statu monachor. verb. *Cecidisse*. Et habetur expressè in l. *si ita scriptum*, ff. de Legatis 2. ubi dissimilitudo rationis,

fundata in usu verborum, ac decentia, assignatur. Exemplum enim (inquit) pessimum est feminino vocabulo etiam masculos coniseri. Quoad rem verò est etiam facile differentiam assignare: quia virilis cōditio perfectior est, & securior, & ideo non ita indiget huiusmodi temporis limitatione, aut conditione. Secundum autem & per se est facile, & ex dictis in superiori puncto cū proportionem ostendi potest, quia hæc antiquitas professionis, regulariter, ac moraliter loquendo, potest esse valde necessaria, ut possit quis more religionis diutius & melius expediri, quæ experientia moraliter necessaria est ad rectè gubernandum: non tamen est conditio simpliciter necessaria ex natura rei, non solum ad capacitatem, verum etiam nec ad dignitatem personæ: quia illa experientia potest alius modis suppleri, vel conditiones aliæ, & dotes personæ possunt esse tales, ut illum defectum compensent. Solum est cauendum, ne ita eligatur aliquis repèdè professus ad huiusmodi prælationem, ut illa iam vacante, ex seculari fiat religiosus, & profiteatur, ut ad prælationem promoveatur: hoc enim adeò est in iure reprobatur, ut talis electio irrita decernatur, in cap. *Officij*, de Electione, etiam in eo casu, in quo electus paratus erat purgare se, quod nulla fuisset ad id ambigione inducitur, vbi dicitur, quia (ut ibi etiam subiicitur) ex his que in continentis subsequuta sunt, ostenditur quod talis saltem non possit eligi in Abbatem.

Occurrit autem circa illud caput dubitatio, an saltem prohibitum sit, statim post professionem aliquem eligere in Abbatem, vel Generalem: nā hoc videtur supponi in illo textu, cum tamen nullibi talem prohibitionem inueniamus, & aliqui defendunt, niri non possit quantum tempus intercedere debeat. Vnde etiam difficile est rationem addere, cur illa electio irrita declarata fuerit, quia ille defectus non erat per se sufficiens ex sola rei natura ad irritandam electionem, ut per se constat, quia illa celebritas vel etiam vera ambitio non affert secum incapacitatem, neque etiam ante illud caput inuenitur ius Ecclesiasticum talem electionem irritans: quomodo ergo potuit irrita declarari? Propter hoc dicere posset aliquis, illum fuisse electum in Abbate, priusquam esset professus, nam eodem die, quo receptus est in monachum, electus est in Abbatem, ut in Integra dicitur. Sed auctores non ita intelligunt hunc textum, & merito, tum quia monachum fieri in rigore magis significat professionem facere, quæ tunc fieri potuit statim primo die recipiendo habitum professorum, vel etiam expressè profitendo, & renunciando iuri suo: tum etiam, quia nec talis ratio dubitandi proposita est, cum tamen futura esset potissima, nec Pontifex in illa fundatur, nec præcipit professionem facere, ut iterū eligi possit, sed solum ut competenter instruat, & purgetur. Censeo igitur, electionem illam particularem non fuisse nullam ipso facto propter rationem allatam, & consequenter verba illa, *irritam esse declarationem*, non significare sententiam tantum declarationem nullitatis, sed effectricem talis nullitatis: irritando id, quod factum erat, quamuis non esset per se irritum: ad irritandum autem sufficiens ratio fuit vehemens ambitionis præsumptio, orta ex his, quæ in continenti facta sunt. nam ut in Integra dicitur, eodem die, in quo monachus est effectus, fuit in Abbatem electus. Accessit etiam, quod illa persona non satis digna, & sufficiens reputata est, eo quod antequam esset discipulus, voluit esse magister.

An verò id statuerit Pontifex, ut in posterum similis electio sic facta, sit irrita ipso facto, dubitari potest propter vim verborum, *irritam esse declarationem*, & *inane*. Quæ ferri videntur non solum in illam electionem, sed in omnē similem. Quod licet fortasse defendi

defendi possit; mihi tamen probabilius videtur, ibi legem itaui, ut in simili casu possit & debeat cassari electio, prout ibi Innoc. indicat, & Hostien. quia verba textus non aliud in rigore postulant, & non sunt amplianda in materia rigorosa; at lex illa, ut respicit ambitionem, poenalis est, ut verò fundatur in persona insufficientia, non est tam evidens indignitas, ut sufficiat ad nullitatem. Hinc autem inferri videtur, quoties electio religiosi ad huiusmodi praelationem est nimis prematura, etiam si post professionem fiat, posse irritari, & consequenter inferri, ut electio sit omnino rata & firma, necessarium esse ut aliquod tempus a professione interiectum sit: hoc autem videtur praefer consuetudinem, & contra rationem, quia nullum certum tempus ibi designatur, nec designari potest.

XX. Dicendum tamen est, in primis ibi non tantum considerari breuitatem temporis post professionem, sed subitam mutationem a seculari statu usque ad praelationem, addita etiam illa circumstantia, quod mutatio facta est vacante Abbacia. Nam ex his omnibus simul sumptis & ambitio, & insufficientia valde praesumitur; ideoque quoties similes circumstantiae occurrerint, irritandam esse electionem: quod adeo verum est, ut sine dispensatione Papae fieri, & confirmari non possit, ut ibidem significatur, ut recte Panorm. notauit. Nihilominus addo, nunc, moraliter loquendo, nunquam esse irritandam electionem propter celeritatem eius, post legitimam professionem electi, nisi aliunde manifestè redundet in personam electæ insufficientiam, & indignitatem. Probat ex eodem capite, verbis illis, *si unum postquam fuerit in regula competenter instructus*. Vbi glossa, & Doctores ad summum requirunt annum ad huiusmodi instructionem, vel committendum dicunt prudenti arbitrio: nunc autem ad professionem faciendam praerequirunt annum ad religionis, in quo, si persona sit tantæ capacitatis, ut sit digna praelatione, profecto etiam poterit competenter instrui in regula religionis: ergo, nisi persona aliqui sit indigna, cui ambitio, aut vehemens praesumptio eius intercedat, sola ratio, seu breuitas temporis post professionem, non infirmat electionem, ut ob eam causam cassari possit. Quod fenit Fredericus de Senis consil. 258. cum Ioan. Andr. in eam ad nostrum, de elect. ubi Additio ad Panorm. idem notat.

Tertia conditio Sacerdotium.

XXI. Tertia principalis conditio necessaria in persona eligenda ad praelationem religionis, praesertim superiorem, est, ut sit sacerdos, ex c. 1. de etate, & qualitate. Certum est autem, hanc conditionem non esse requisitam iure diuino, vel naturali, quia nullam habet intrinsecam connexionem cum tali munere, vel officio, quia nullum est de hac rescriptum, vel traditum. Deinde si in hoc munere praecise spectemus potestatem dominatiam, & subordinationem religionis, ortam ex votis & professione, etiam ex communi, & antiquo iure Ecclesiastico, non esset necessaria hæc conditio, imò nec alicuius ordinis, vel primæ tonsuræ: quia cum illa potestas non sit iurisdictionis spiritualis, de se non requirit ordinem, vel inchoationem eius. Sic enim antiqui Abbates nec sacerdotes, imò nec clerici erant, ut colligitur ex c. 4. Subdiacono. d. 93. praesertim prout à Gratiano legitur: & ita ex illo colligit glossa in c. tuam, de etate, & qualitate. Panormitanus in cap. 1. de etate, & qualitate. Quamvis in ipso can. 7. Concilii Romani, sub Syluestro prout in 1. tom. Conciliorum refertur, nulla fiat Abbas, aut Monachi mentio: tamen ex aliis decretis 18. q. 2. idem colligi potest. Et fortasse verum est, etiam si inter religiosos subditos aliqui Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

sint sacerdotes: quia ex vi illius potestatis non subduntur ut sacerdotes, nec quoad actus iurisdictionis, sed quoad disciplinam religiosam; nec in eo esset intrinseca indecencia: quia quoad illum modum regiminis magis consideratur æqualitas professionis, & super omnia perfectio virtutis. & ita credo sæpè contigisse in antiquis religiosis: nam Equitius, Pachomius, Antonius, qui presbyteri non fuerunt, nec fortasse clerici, in suis monasteriis presbyteros aliquos sibi religiose subiectos habere potuerunt. Et S. Franciscus sacerdos non fuit, ut refert Bonau. in expositione suæ Regule, cap. 7. & fortasse in principio suæ religionis nec clericus fuit, quantum colligi potest ex discursu vitæ eius, quam Bonauen. scribit, & tamen etiam tunc nonnullos religiosos sacerdotes habuisse in sua religione, licet paucos, refert Bonau. dict. cap. 7. At verò considerando in praelato religionis spiritualem potestatem, ex generali lege canonica necessarium est, & sufficit, ut sit clericus, quia laicus etiam religiosus non est capax spiritualis iurisdictionis, ut supra dixi. Quod autem sit sacerdos non videtur necessarium, quia quicumque ordo, etiam prima tonsura, sufficit, quantum est ex generali ratione spiritualis potestatis. Nec etiam ex speciali ratione iurisdictionis religiosæ videtur hæc conditio necessaria, aut aliquo iure præscripta: nam in dict. c. 1. de etate, & qualitate, solum mandatur, ut Abbates, Decani, & Præpositi, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant, illa tamen non ponitur ut conditio necessaria, ut eligi possint ad tales dignitates, nec de religiosis aliquid ibi speciale dicitur. Adde D. Franciscum fuisse Generalem sui Ordinis, qui tamen sacerdos non fuit, ut dixi: idemque Sanctus in sua Regula statuit, ut conuersi sui Ordinis sine ordinibus sacris possint esse Prælati.

XXI. Dicendum ergo censeo, conditionem hanc in tantum esse iure communi necessariam in persona eligenda ad hanc praelationem, in quantum in omni persona, cui cura animarum committitur, seu confertur beneficium, aut dignitas habens annexam hæc curam vel obligationem, postulat. Ratio est, quia nullo speciali iure imposita est circa hoc maior obligatio, vel necessitas. De iure autem communi necesse est, ut qui promouetur ad curam animarum habendam, sit iam sacerdos, quando promouetur; sed satis est, ut per promotionem ipsam seu beneficium obligetur ad sacerdotium suscipiendum. Quod notauit Abbas in dict. c. 1. de etate, & qualitate, & colligitur ex eodem textu, & ex cap. præterea. eod. tit. & cap. si pro clericis, de Præben. in 6. Ita ergo in præsentem, quamvis religiosus professus nōdum ordinatus sacerdos, in Prælatum religionis eligetur, iure communi non esset irrita electio, nec irritanda, quia nullum haberet iuris defectum: teneretur autem sic electus debito tempore ordinari, tū ex dict. c. 1. ubi nomine Abbatis omnes intelligunt comprehendere Prælatum religiosum, nomen etiam Præpositi propriè illi conuenit. Ratio verò est, quia nunc Abbates seu Prælati religionum habent propriam curam animarum: necessarium autem est, ut pastores animarum sacerdotes sint, quia alias nec poterunt per se ipsos subditis peccata remittere, neque pro eis offerre, aut Eucharistiæ sacramentum tribuere: quod magnum inconueniens est, quia deesse illis potestas ad præcipua munera sui officij, cui non semper possunt per alios conuenienter satisfacere; & præterea postquā in religionibus quæplures & præcipui sunt presbyteri, indecens profectò esset, Prælatum non esse sacerdotem. Quæ ratio, moraliter loquendo, probat, etiam ante electionem esse debere sacerdotem, ex decencia tamen, & ex communi cursu rerum, non ex necessitate, quia de hoc nulla est lex.

C A P V T I V.

De conditionibus eligentium dictum Generalem.

XXVII.

Intabuit
tamen nif
debita mod
habetur.

tunc assumi dispensatione, scilicet concessione, aut interpretatione iuris.

XXVIII.

Intabuit
tamen nif
debita mod
habetur.

Iam vero occurrebat hic dicendum in particulari de nonnullis conditionibus, quae personam frequentius solent reddere inhabilem ad huiusmodi electionem; ut praecipue sunt, defectus natalium quoad ortum illegitimum; defectus originis ex radice infecta macula haereticis, apostasie, vel iudaismi, aut alterius sectae damnatae, & infamia. Sed de his omnibus dixi late in materia de Irregular. disp. 43. 48. 50. neque hic aliquid novum notatu dignum occurrit: nisi hoc solum, quod esse illegitimum impedit iure communi, iuxta cap. 1. de filiis Presbyter. ex quo plane habetur, etiam post professionem religionis durare hoc impedimentum. An vero per Superiorem religionis dispensari possit, consulenda sunt specialia privilegia, nam iure communi non potest: de quo infra ad cap. 12. non nihil attingemus. Secundum autem defectum non consistit impedire ex vi solius iuris communis, & ideo specialia iura religionum, vel Provinciae consideranda sunt, & servanda. De tertia glossa in dict. c. 12. in verbo, Non ascendat, dicit, infamiam non impedire Abbatis Praelationem: citat. c. accedens. d. 50. ubi Saturninus quidam Presbyter, qui pro crimine ad sacerdotij ordine erat deiectus, sollicitudinem de monasterijs gerere, & in eodem statu manere permittitur, sed si infamia talis sit, quae reddat personam irregularem ad sacerdotium, consequenter impedit hanc Praelationem, ut dictum est, quia coniuncta est cum ordine sacerdotali: decretum autem illud Gregorij procedit iuxta antiquum ius, in quo Abbates esse poterant non ordinati; & ideo irregularis ad ordines per se non impedit Praelationem, nisi in casibus expressis. Eo vel maxime, quod non constet Saturninum illum fuisse Abbatem: imo verisimilius est tantum habuisse ministerium temporale, seu procuracionem quorundam monasteriorum, ut bene exponit Turrecremata ibi. Qui censet, etiam eo tempore non potuisse irregularem ad sacerdotium, esse Abbatem, quia non posset curam animarum monachorum exercere. Ex illo quidem textu aliud non colligitur, ut bene ipse explicat: tamen ratio eius non cogit, quia tempore Gregorij poterat esse Abbas sine ordinibus sacris, ut supra cap. 1. num. 3. ostensum est ex Dialogo. cap. 4. & alijs testimonijs. Nihilominus verisimilius est, infamiam secundum ius Canonum nunquam potuisse esse Abbatem, quia id est valde indecens, & repugnans tali muneri. nunc autem multo certius id est, quando hac est propria spiritualis Praelatio. Sed de hac infamia videnda sunt, quae late tradidimus in fine quinti tom. disp. 48.

Hactenus dictum est de conditionibus requisitis ex parte eligendi: nunc dicendum secundo loco superest de eligentibus, quod brevius expediri potest. Primo enim dicendum est, electionem hanc pertinere ad ipsammet religionem, nam secundum commune ius eligere Praelatum alicuius congregationis, ad ipsam congregationem spectat, c. 1. de Electione, & cap. 2. 3. 4. & sequentibus, 18. q. 2. ubi specialiter de monachis agitur: & sicut statuitur, ut Abbas de eadem congregatione eligatur, ita etiam quod ab eadem congregatione. Atque hoc ius commune maxime receptum est in omnibus religionibus secundum iura specialia quoad supremam Praelationem totius religionis, quia in illa erat moraliter necessaria electio, ut supra ostendi c. praeced. num. 2. non erat autem expediens ut esset ab externis, ut per se notum est. Quid autem requiratur, ut haec congregatio ad hunc finem, seu effectum legitima sit, maxime attendendum est ex conditionibus requisitis in singulis eligentibus, de quibus statim, & in authentica, ac sufficiente eorum convocatione, quae maxime pender ex propria institutione, & modo singularum religionum. Nam in unaquaque debet convocatio fieri ab eo, qui ad illud munus deputatus est, auctoritatemque habet ab ipsa religione, & similiter convocandi sunt omnes etiam, qui iuxta statuta universalesque religionis suffragium in illa habere possunt.

Secundo dicendum est, huiusmodi eligentes debere esse professos eiusdem religionis, non tamen esse necessarium, ut sint expresse professi. Prior pars certa est ex eisdem iuribus citatis 18. q. 2. ubi monachis committitur sui Abbatis electio, *Quem sibi* (ait Gregorius ibi cap. 5.) *propria voluntate conuersi fratrum societati elegerit*: nomine autem fratrum intelliguntur, qui iam per professionem facti sunt religiosi. Expressum vero ius est in cap. ex eo. §. in Ecclesijs. de Elect. in 6. & in cap. indemnitate, idem circa electionem monialium praecipitur, ubi glossa & Doctores conveniunt. Denique ita habet omnium religionum consuetudo. Ratio etiam id exigit, quia novitius non est verum membrum illius corporis: ergo nec ius eligendi habere potest. Praeterea rationes fere omnes, propter quas novitius non potest eligi in Abbatem, probant non posse eligere. De quibus videri potest cap. cum in magistrum, de Electione, scilicet quia non debet esse prius magister, quam discipulus; & quia novitius non satis est expertus religionem, nec potest habere sufficientem notitiam personarum. Alteram partem docet expresse glossa in cap. nullus & in cap. ex eo. verb. Tacite, & cap. indemnitate, verb. Tacite, de Elect. in 6. & probatur sufficienter ex dictis iuribus: nam in primo solum postulat expressa professio in eligendo; tacetur autem de electore; ius autem novum non mutat, vel limitat antiquum, nisi in eo, quod exprimit: in alijs vero iuribus expresse requiritur sub distinctione professio tacita, vel expressa: ergo quaelibet earum sufficit. Ratio autem est, quia utraque est vera professio. Dices, Cur potius in eligendo, quam in electore requiritur, quod professio fuerit expressa? Respondetur, hoc pendere ex iure positivo, & ideo voluntatem legislatoris esse nobis pro sufficienti ratione: illum autem movere potuit, quia plus multo est eligi in Praelatum, quam eligere, ideoque plures condiciones in eo requiruntur. Item, quia, ut quis habeat ius eligendi, satis est, quod vere ac